



**Ruperti Abbatiss Tvitiensis, Summi Disertissimi
Theologi, sacris du[n]taxat literis omnia probantis, in XII.
prophetas minores, Commentariorum Libri XXXII**

Rupert <von Deutz>

[Köln], M. D. XXVII.

VD16 B 3835

Cap. II. Super custodiam meam stabo, [et] figam gradum super
munitionem, [et] contemplaborum], vt videam quid dicatur mihi, [et] quid
respondeam ad arguentem me.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71859)

Vobis dicitur populis tribubus & linguis. In hora qua audieritis sonitū tubæ & fistulæ, & citharæ, sambucæ psalterij & symphoniæ, & uniuersi generis musicorū, cadentes adorate statū auream quā constituit Nabuchodonosor rex. Si quis autē non prostratus adorauerit, eadem hora mittat in fornacem ignis ardentis. Equidē ibi tacere uisus est dñs deuorante impio iustiore se, sed nō usquequaq;. Nam permittit qdem mitti in ignem tres pueros, utique iustiores illo ipio: sed cū tres fuissent immitti, quatuor deambulabant soluti per mediū ignis, & species quarti, ait ipse q uidit, similis est filio dei: sed quāta ex tunc futura erat, & facta est eadem causa deuoratio iustorū, interfectio gentiū: Proinde nō solus iste clamat ad deum, dicēs: qre nō respicis, & cætera quæ hæcenus dicta sunt, sed & omēs sancti, omēs iusti, taliter deuorati clamant, & dicunt uoce magna. Vsq; quo dñe sanctus uerus nō iudicas & iudicas sanguinē nostrū, de his q habitant in terra. Nec solæ clamant illoz animæ in illo seculo, uerum & cum illis & propter illos ad ipsum clamat ecclesia uiuentium in præsentī seculo desiderans iudicij & saluatoris aduentum, qui iustum de omnibus faciurus ē iudiciū. Sequitur. **L** Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitiōem, & contem- plabor, ut uideam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me. Tale qd & Esaias loquitur: Super speculam dñi ego sum, iugiter stans per diem, & super custodiā meā ego sum stans totis noctibus. Et reuera q ad deum loquitur, & rōnem postulat de iudicijs eius, oportet ut supra custodiā suā stet, & gradū figat sup munitiōem, ne forte labat i sermōe spūs eius, aut supra q expedit, gppiam loquat. Ne temere (inquit Ecclesiastes) quid loquaris neq; cor tuum sit uelox ad proferendum sermōnem corā deo. Deus em̄ in cælo & tusup terram, idcirco sint pauci sermones tui. Stabo ergo, inquit, super custodiā meā, & figam gradum super munitiōem. Quæ autē illa custodiā, uel quid est illa munitio? Nimis uera mentis humilitas. Illa nāq; uirtus munitio firma, uirtutūq; oim fida est custodiā. Nec facile quis lo- cum alium, petram uel aliā reperire poterit, de quo Moses saltem posteriora dei dignus ui- dere fuerit dicentis sibi. Ecce est apud me locus, stabis supra petra. Cūq; transibit gloria mea ponā te in foraminē petræ &c. Deniq; locū illū nō quidē illis nominatū inuenis: sed eiusdē dei spūs eum apud Psalmistā puchre & magnifice nominauit. i. nimiā mentis humilitatem. Ait em̄: Et dixit ut disperderet eos, si nō Moses electus eius stetit in contractōe in cōspe- ctu eius. Nunc talē locū. i. contractiōem nimiā (ut iam dictū est) mentis humilitatē esse apud se testat ipse dum dicit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Sciens igitur & iste tu- tam esse firmitatem eiusmodi loci, & quod exinde optimū sit cum deo lu-ctari, super custodi- am inquit meā stabo & figam gradum super munitiōem, & contem- plabor, ut uideā quid di- catur mihi, & quid respondeam ad arguentem me. Quemadmodū iam dictus Moses eodē loco posteriora dei contēplatus ē, ut uideret quid diceret sibi, & quid rīderet ad arguentē se & dicentē: uade, descēde, peccauit pplus tuus, quē eduxisti de terra Aegypti &c. Deniq; & iste contēplatus est fortiter fixo gradu, ne ueniret sibi pes supbia, & uidit quid diceret sibi, & qd rīderet ad arguentē se. i. timore sancto, timore bono & necessario p̄menrē se. Sequitur em̄. **L** Et respondit ad me dominus et dixit: Scribe uisum, & explana eum super tabu- las, & percurrat qui legerit eum, quia adhuc uisus procul, & apparebit in finem, & nō mentietur, si moram fecerit, expecta eum, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Hæc & cætera quæ sequunt dicta sunt ei, ueluti attēdebat, dicēs: Et contēplabor, ut uideam quid dicat mihi. Post hæc semet inuenisse oñdit, quid rīderet ad arguentē se: Dñe (inquit) audiui auditionē tuā, & timui, & cætera. Igitur quia fortiter stabat, & in exigēdo fortis erat, uidit illud, qd ut uideret contēplabat. Ait em̄: Et respondit ad me dñs. i. ostendit mihi, & uis di oculo propheta, quis finis futurus esset iniqua agentium, & quō haberet loqui & iudicā re ipse, qui nunc uidet tacere, deuorante impio iustiorē se. Et deinde ut aliq̄ sperare sci- rent, dixit mihi, scribe uisum. i. scribe quod uidisti, scribe quod respondi tibi: scribe (inquam) uisum, & nō in obscuro siue occulto, sed explana eum super tabulas. i. plano sermone & ma- nifesto, ut percurrat qui legerit eum, nihilo eius offendente intellectu, hoc modo: Quia ad- huc uisus procul, & apparebit in finem, & non mentiet, si moram fecerit expecta eum, quia ueniens ueniet, & nō tardabit. Quid em̄ hic nō planū & apertū ad intelligendū? Adhuc (in- quit) procul est uisus, i. nō statim ueniet ipse in terra uisus, & cū hoibus cōuersatus, abijt procul, Actu i

Dani. 3

Apoca. 6

CAP. II.

Esa. 27.

Ecclesiastes. 7.

Humilitas est custodiā uirtutum.

Exo. 33.

Psal. 139.

Matth. 23.

Scribe uisum & explana eum

Baruch. 3 Actu i



ascendit in cœlum, dicentibus angelis: sic ueniet quemadmodum uidistis eum ascendentem in cœlū. Procul est adhuc, procul abijt, quia acceptus est in cœlum. Apparebit aut in finem & nō mentū, subauditur de omnibus quæ locutus est, dum cum hominibus conuersaret; ex

Lue. 21
Marth. 26. cum potestate magna & maiestate, siue & uidebitis filium hoīs sedentē à dextris uirtutis, & uenientē in nubibus cœli, & his similia. Ita uenientē quisquis eum uidere desiderat, & p̄sentem quoq; uitam fastidit, in qua nō potest eum uidere, dicitq; cum Apostolo, cupio disto

Philip. 1
Marc. ultimo ui & esse cum Ch̄o. Quisquis ille est hoc audiat, & hoc sibi dictū esse sciat. Si morā fecerit, expecta eum: quia ueniēs ueniet, i. certissime ueniet, & cum uenerit, nō tanq̄ tardus adent, sed totum præteritum tempus uidebitur fuisse, ut uere est, nimis breuitatis. Interim donec appareat in finem, prædicabitur Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur. Hoc est, quod continuo sequitur.

Rom. 1. **Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso. Iustus autē in fine sua uiuet.** Ecce apparebit, i. cito apparebit, & q̄ nō credit euāgelio ei⁹ etiā si multū opel

Heb. 11. nō erit recta, i. condēnabitur anima eius, sicut uera & manifesta rōne testat Ap̄lus, hoc breui testimonio taliter. Iustitia em̄ dei in eo uidelicet euāgelio reuelat, ex fide in fidē, sicut scriptum, iustus autē ex fide uiuit. Et alibi sine fide (inquit) impossibile est placere deo. Et quō est incredulus, nisi superbus? Supbia nāq; incredulitatis causa efficiēs est. Vñ & p̄tinus subdit,

Iohan. 7. **Et quomodo uinum potantem decipit, sic erit uir superbus, & non decorabitur, qui dilatauit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors non adimplebitur, et congregabit ad se omnes gentes, & coaceruabit ad se omnes populos.** Ergo supbia magna est ebrietas: & ita mentē subuertit, uimq; oēm debilitat sensus atq; rōnis ut quod

Quid est superbus

audit discernere non possit. Hoc ip̄m dñs in euāgelio cōfirmat uerbis h̄mōi. Quō potestis uos credere, q̄ gloriā ab inuicē accipitis, & gloriā quæ à solo deo est nō queritis. Qui gloriā ab inuicē dixit accipitis, pro eo ut diceret, q̄ superbi estis. Pulcherrime asperitate dicitōis uirtutis, & sensum nō præterit. Vnde si quis requisitus qd sit superbiere, respōdeam gloriā ab inuicē accipe, nimis uera & pulchra atq; irrefragabili usus ē diffinitōe. Porro sensus dicit huius, qd est gl̄iam accipere, uerbis amplificat præsentibus, q̄ dilatauit quasi infernus aiām suā, uidelicet semp̄ maiora ambiens, & ipse quasi mors nō adimplet, subaudit pecunijs, & cōgregabit ad se omnes gentes, & coaceruabit ad se omnes populos, ut fecit suo tpe Nabuchodonosor, suo tpe magnus Alexander, suo tpe Roma, quæ (ut superius dictū est) altera fuit Babylonia. Omnes regnos illoꝝ cupidi & ambitiosi hoies, nōne gl̄iam ab inuicē accipiebāt, & p̄ acceptōe gl̄iæ, ut alter alteri gl̄iam raperet, inuicē ruebāt. Reuera quō uinū potantē decipit, sic eiusmodi hoies spū superbiæ decepti fuerunt & sunt, nec ornamento fidei decorati sunt, sed nudi sunt, humilitatē crucis adhorrentes, utpote contrariā spūi supbiæ, quo inebriati uel decepti sunt. Quid erit de illis, qñ iste in finem apparebit? Imō ut singulari numero p̄positū sequamur capitulum, quomodo iudicabitur uir superbus, & quomō non decorabitur? An

Nunquid non omnes isti super eum parabolam sument, & loquelam emigrauerunt eius? Et dicitur: Ue ei qui multiplicat non sua usquequo, & aggravat contra se densum lutum. Nunquid non repente consurgent qui mordeant te, & suscitabunt te, lacerantes te, & eris in rapinam eis? Quia tu spoliasti gentes multas, & spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint ex populis, propter sanguinem hominis & iniquitatem terrę ciuitatis & omnium habitantium in ea. Interrogando acrius affirmat dñs dicit: Nunquid nō omnes isti subauditur populi siue reliqui de oibus populis, sup eum p̄borā lā sumēt &c. Solet autē scriptura sacra reliqs siue residuos appellare iustos siue electos ut illa

Reliqui uocatur iusti

Esa. 4.
Ibidem, 37

Et erit ois q̄ relictus fuerit in Syon, & residuus in Hierusalem, sanctus uocabit, ois q̄ scriptus est in uita in Hierusalem. Et alibi: Et mittet id quod saluatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum est de Irahel, radicem deorsum faciet, & fructum faciet sursum, quia de Hierusalem exibunt reliquæ, & saluatio de monte Sion. Ergo & hic omnes istos, de qbus dicitur quod tu spoliasti gentes multas spoliabunt te omnes, q̄ reliqui fuerint de populis, recte sanctos uel iustos intelligimus, q̄ super fuerunt uel super sunt, quos supradictus uir superbus, dilatauit habens animam suam quasi infernum, & quasi mortem deuorare, id ē, ad cōsensum animæ uel uolū

uoluntatis suae pertrahere non potuit, quibus igne, ferro, fame, bestijs & omnium tormentorum genere ad hoc certauerit & laborauerit, quod (ut superius iam dictum est) primus ille Nabuchodonosor inchoauit, quando populis, tribubus, & linguis, quas ad se congregauerat, atque coarctauerat, penam edixit. Si quis (inquiens) non prostratus adorauerit statuam, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. Quanta similia, imò maiora fecit, maior utique alterius Babyloniz. i. Romae potentia? Quo gentes omnes ad se congregauit, & populos omnes ad se coarctauerit, & quibus mortibus, propositis exterminare uoluit hunc uisum de memoria hominum, de quo hic nunc dicitur: Et apparebit in finem, & non mentietur? Equidem uir superbus, ut puta Nero, siue Decius, aut certe ipse diabolus, qui per eos ministerium iniquitatis operabat, quasi mors, & quasi infernus dilatatus, omnes oino gentes, quantum in se fuit, deuorauit: sed reliqui sunt & erunt aliqui, qui & admirantes euentus sui felicitatem, euasionis suae beatitudinem, & respicientes unde euaserit, exclamant, & dicunt uniuersi. Nisi quia dominus erat in nobis, dicat nunc Israel. Nisi quia dominus erat in nobis, cum exurgerent homines in nos, forsitan uiuos deglutissent nos & cetera. Nunquid non omnes isti super eum, scilicet uirum superbum, imò super ipsam diabolum & super uniuersitatem omnium, quorum ipse caput est, superbiae filiorum parabolam sument, & loquelam aenigmatum eius? Iudicabunt enim sancti nationes, & dominabunt populis, siue (ut alibi scriptum est) Stabant in magna constantia, aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores illorum. Quomodo isti sument parabolam, & loquelam aenigmatum eius, uel quod est ista parabola, & quid aenigmata eius? Parabola sancta prophetica, siue legalis scriptura est, quia uidelicet tota ferè, uel ex maxima parte parabolicis & aenigmaticis locutionibus plena est. Parabola namque comparatio est ex rebus dissimilibus. Verbi gratia: cum sermo dei uel sententia iudicialis gladio materiali comparatur, ut in Psalmo, cum de istis reliquis, scilicet de oibus sanctis canimus: Exultationes dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum, & cetera, usque: Ut faciant in eis iudicium conscriptum. Porro aenigma, propositio est obscura, quae non facile intelligitur, nisi aperiatur, ut est illud: De comedente exiit cibum, & de forte egressa est dulcedo. Et huiusmodi locutiones passim in scripturis inueniunt, & ualent, non solum ad occulandas porcis margaritas: uerum & ad hoc, ut in eorum difficultatibus bona exerceantur ingenia. Audiens enim sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Animaduertet parabolam & interpretationem, uerba sapientium, & aenigmata eorum: Igitur sument super eum (ait) parabolam & loquelam aenigmatum eius, id est adimplebunt scripturam, & manifestas facient obscuritates eius, quae difficile & a paucis uix intelligunt, nisi prius eueniat ea quae in ipsis significatur, atque ita reuera euentu dicta, quae obscura erant, aperiatur. Ac si quaereret, cuiusmodi sit illa locutio, quam parabolam uocat, statim subiungit: Et dicitur: Vae ei, qui multiplicat densum lutum diuitias densum lutum appellauit. Idem & illud, quod subiungit: Nunquid non repente confluent, qui mordeant te, & suscitabunt lacerantes te, & eris in rapinam eis, parabolica siue aenigmatica sunt, quia uidelicet isti reliqui, de quibus nunc sermo, scilicet omnes sancti uel iusti, nequaquam ut litera sonat, dentibus mordere aut lacerare, ac manibus rapere consueuerunt. Sciendum quoque: quia dicitur quid tunc, sed non incipiet dici, tunc tale quid, quod apparebit in fine, quando ueniens ueniet iudicaturus, qui hinc abiit iudicatus. Iam enim dici coeptum est, ex quo ille abiit, iubens Euangelium omni creaturae praedicari. Dici coeptum est: Vae ei, qui multiplicat non sua, usquequo aggrauat contra se densum lutum, ab initio praedicationis Euangelij, in quo reuelabitur (ait Apostolus) ira dei de caelo super omnem impietatem & iniustitiam hominum, dicitur tunc in finem eidem uae, taliter ut eat in ignem aeternum. Idem fiet: coeptum est per Euangelium, ut repente isti reliqui confluerent, & morderent impium, & suscitarentur lacerantes eum, essetque eis in rapinam, taliter ut multos ab illo separarent, quod est morderi & manducare, iuxta quod Petro dictum est: Macta, & manduca: Fiet autem in finem taliter, ut gladius exeat de ore illorum, ut sint gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam in eo uindictam siue iudicium conscriptum. Nam quod multos ab impietate conuertere, hic fit corpus impium morderi & lacerare, ex eo quoque comprobatur, quod ad beatum Iob dominus loquitur: Concident eum amici, diuident illum negociatores, & nunquid implebis sagenas pelle eius, & gurgustium piscium capite illius, subauditur, ut ego. Hoc fit nunc in bonum illorum,

Dani. 5

Psal. 123

Sapient. 3. Ibidem. 5.

Parabola, sancta scriptura dicitur

Psal. 149 Aenigma Lud. 14

Prouer. 1

Densum lutum multae diuitiae

Rom. 1 Quomodo morderet & laceraret sancti

Actu. 10 Psal. 117

Iob. 40



COMMENTA RUPER ABBA LIB II.

quos dentes isti, quales demonstrant in Canticis, dicendo ad amicam, scilicet ecclesiam, Dentes tui sicut grex tonstræ, quæ ascenderit de lauachro: quos (inquam) dentes, id est apostoli, siue prædicatores, qui hic reliqui dicunt, quasi manducando in corpus suum traducunt: tunc autem id quod sequitur, fiet in malum eiusdem impij, qui malo suo repulit appetitum dentium istorum. Quia tu spoliasti gentes multas, Spoliatio per summa. Exo. 32. modus omnium pessimus est, quo gens aut populus, siue homo quilibet, unius dei creatoris sui honore spoliatur, & tunc uere est nudus. Hinc est illud in Exodo: Videns ergo Moyses populum, quod esset nudatus: spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat. Ignominiam sordis, reatum dicit uituli, quem fecerant, & quo facto, auxilio, et gratia dei nudati erant. Hoc modo quot gentes, quot populos spoliauerunt hic impius, in quem hæc dicuntur: Igitur quia spoliasti gentes multas, id est tam iniquis persuasioibus separasti à creatoris gratia, spoliabunt te isti reliqui ex eis iudicando, ut tu, sicut tuo creatore ornare noluit, ita nec in ipsa, quam præoptasti ulterius gloriarì possis creatura dei. Ad diciturque ad huc: Propter sanguinem hominis, & iniquitatem terræ ciuitatis, & omnium habitantium in ea. Sanguis hominis homicidium est, & hoc profecto iniquitas est. Terra uero, cui possit iniquitas imputari: nimis non aliud, quam hominum est. Ciuitatis quoque, non aliud est, quam habitantium in ea, quia uidelicet non muro, aut ædificiorum, siue lapidum ciuitatis: sed hominum habitantium in ciuitate est uel esse potest iniquitas. Videtur ergo hic esse tropus, qui à grammaticis græcè tautologia, Latine quoque eloquiū dicitur, dum res una plurimis uerbis significatur, ad hoc, ut ueritas siue magnitudo rei splendidius producat. Veruntamen & illud sciendum: quia cum omne homicidium sit uel fuerit iniquitas huius impij, maxime sanguis ciuitatis dei ad iniquitatem reputatur ei. Ciuitas (inquam) dei, quod olim erat illa Hierusalem, in qua sola erat templum domini, & nunc est ecclesia catholica per orbem terrarum, de qua Psalmista dicit: Flumen nis impetus lætificat ciuitatem dei. Illius ciuitatis sanguinem fudit impius Nabuchodonosor rex primæ Babylonis: istius autem fundere cepit impius Nero Imperator alterius Babylonis, de qua Petrus in Epistola sua: Salutem uos (inquit) ecclesia, quæ est in Babylone electa. Una ex utraque secundum fidem & electionem ciuitatis facta est, & sanguis huius ciuitatis dei, iniquitas est terræ Babylonicæ ciuitatis diaboli. Inter omnem sanguinem summa causa est sanguis hominis unius Iesu Christi, quem recte hic intelligimus, dum dicit: propter sanguinem hominis, & Iudæi, qui fuderunt illum, pars fuerunt & sunt corporis impij, cui dicit: spoliabunt te omnes reliqui fuerunt de populis. Denique & isti maxime sunt spoliati & spoliandi: maxime (inquam) & in primis quemadmodum & apostolus dicit: Ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominum operantis malum, Iudæi primū & Græci. In quo primū isti iam spoliati sunt: Nimis in eo, qui perdidit, non solum locum & gentem: uerum etiam adoptionem filiorum, & gloriam, & testamentum, & legislationem, & obsequium, & promissa, quæ ipsorum erant, & ipsum Christum, qui ex ipsis est secundum carnem, qui est super omnia deus benedictus in secula, Amen. Omnibus bonis iam spoliauerunt eos, omnes qui reliqui sunt de populis, secundum speciem Iacob, quem deus dilexit, qui primogenitum Esau spoliatum uestibus, ualde bonis, quas Rebecca apud se domui habebat, & induit eas. Sic iuste spoliati sunt, qui pars (ut iam dictum est) fuerunt & sunt corporis impij, qui gentes multas spoliauerunt, maxime cultu uel cognitione creatoris, & isti, quantum in ipsis fuit, multo nequius spoliauerunt, quia Christum, expectationem gentium, ut periret nomen testimonium, non de Mose, sed de Psalmis, non dubitemus, & ista, quæ hic loquitur lex, id est scriptura sacra, his qui in lege sunt, eam loqui, & declamare in omnem animam hominum operantis malum, primū Iudæi, deinde Græci, siue Gentilis. **Uel qui congregat auaritia malam domui suæ, ut sit in excelsio nidus eius, & liberari se putat de manu mali.** Quis enim ille est, qui congregat uel congregauit auaritia malam domui suæ, magis quam populus Iudæicus, cæcus pharisaicus: Omnes (inquit) apostolus) declinauerunt, simul inutiles facti sunt, de Psalmi testimonium hoc assumens, statimque subiungit id quod ante diximus: Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur. Igitur & istud primū ei, qui in lege est uel erat, dicitur, hoc non dubitemus: Væ qui congregat auaritia malam domui suæ, ut sit in excelsio nidus eius, Nā uere hoc fecit Iudæus, Equidem omnis impius auaritia congregauit, & ob hoc uæ ei, & Iudæus autem

autem auaritia[m], non qualemcu[m]q[ue]; sed auaritia[m] malam congregauit, & idcirco primu[m] u[er]ba ei. Nam quid rogo est q[uo]d dicit: auaritia[m] mala[m]? Quis unq[ue] audiuit in scripturis: auaritia[m] bona[m]. ut ex illius oppositi hic oportuerit dari uel apponi differentia[m] h[um]o[rum], dicendo: auaritia[m] mala[m]? Qualis ergo auaritia fuit, uel est Iudaei, ut recte dicat mala, & adiectio no[n] sit superflua? Nimirum talis, ut totus orbis audiuit: quia domus dei, quae domus erat uel esse debebat ofonis fecit speluncam latronu[m], & ip[s]um propterea quia disputabat contra auaritia[m] illo[rum] eandem, interfecit domus d[omi]ni. Quam mala fuit haec auaritia: praesertim eor[um] qui erant filij peregrinor[um], q[ui] paueres spu[m] patres habuerant. Eadem auaritia nusqua[m] bona, sed sibi excellenter & nimis mala. Et cui uel quali domui suae co[n]gregauit auaritia[m] tam mala[m]? Nimiru[m] illi, quae fuerat domus domini: quia per co[n]gregatione[m] auaritia[m] mala[m], sua[m] fecit illa[m] domu[m], imo spelunca[m] sua[m], spelunca[m] latronu[m], & superbia[m] suae malum, qua[m] denotauit protinus, subiugendo: ut sit nidus eius in excelsis. Auaritia na[m]q[ue] sine superbia non est. Vnde sapientia cu[m] dixisset: auaro nihil esse scelestius statim subiunxit: Quid superbit terra & cinis? Bene ergo dixit: ut sit in excelsis nidus eius, domus superbitentis subsannas, ut nidu[m] uolucris: & liberari, (inquit) se putat de manu mali, subauditur, pro altitudine illius nidi excelsi. Quod propheta alius prospiciens: Nolite (ait) confidere in uerbis mendacij, dicentes: Templum d[omi]ni, templum d[omi]ni, templum d[omi]ni est &c. Itemq[ue] alius cu[m] dixisset: Principes eius, uidelicet Sion, siue Hierusalē, in muneribus iudicabāt, & sacerdotes eius in mercede docebat, & p[ro]pheta eius in pecunia diuinabāt, p[er]tinus addidit: Et super domum requiescebat, dicentes: Nunq[ua]m no[n] d[omi]n[u]s in medio nostru[m]? Non ueniēt super nos mala. Hoc nimiru[m] idem est q[uo]d hic ait: Et liberari se putat de manu mali. Mox co[n]uersus ad eum, de quo loquebat, taliter in eum inuehit: Cogitasti domui tuae co[n]fusionem, concidisti pilos multos, & peccauit anima tua, quia lapis de pariete clamabit, & lignu[m], quod inter iuncturas est edificiorum, respondebit. Reuera omnis auarus cogitauit, i. cogitauit ad auaritia[m], acquisiuit domui suae co[n]fusionem, quae co[n]fusio quanta sit, manifeste ex supra memorato sapientiae loco datur intelligi, ubi cum dixisset: auaro nihil e[st] scelestius, q[uo]d superbit terra & cinis & caetera: ita demu[m] intulit: Cum enim morietur homo, haereditabit serpentes, & bestias, & uermes. Porro Iudaeus, qui (ut iam dictum est) auaritia[m] tam mala[m] congregauit, dupliciter domui suae co[n]fusionem cogitauit, id e[st] acquisiuit. Primo illam, quam apud Prophetam alium, s. Mich[ae]am, audire potuerat. Ille enim cum dixisset id quod ante memorauimus: & super d[omi]n[u]m requiescebant, dicentes: Nunq[ua]m no[n] d[omi]n[u]s in medio nostru[m], no[n] ueniēt super nos mala, statim intulit: Propter hoc causa uestri, Sion quasi ager arabitur, & Hierusalē quasi aceruus lapidu[m] erit, & mons te[m]pli in excelsa syluag. P[er]fecto h[um]o[rum] co[n]fusionē illi domui maxime Cayphas ille cogitauit, q[ui] prophetauit, dicens: Vos nescitis q[uo]q[ue], nec cogitatis: quia expedit, ut unus moriat homo, p[ro]p[ter] p[ro]p[ter]u[m], & no[n] tota gens pereat. Hoc na[m]q[ue] dicēdo, timore ibi trepidauit, ubi no[n] erat timor, socio[rum]q[ue] callide adauxit pauore[m], imo pauoris fictione[m], dicens: si dimittimus eu[m] sic, ueniēt Romani, & tollent nostru[m] & locu[m] & gente[m]. Ita cogitatio, co[n]ciderit (ait) p[ro]p[ter]u[m] multos, i. causa fuit, ut conciderent p[ro]p[ter]u[m] multi. Occisio[rum] na[m]q[ue] (ut refert Iosephus) per omne t[em]p[us] occisionis, fuere undecies centu[m] milia: & horum (ait) pleriq[ue] gentiles fuerunt: sed no[n] indigenae. A totis enim regionibus ad azimor[um] diem festum congregati, bello subito circūfusi sunt, ut primo q[uo]dem illis pestifera lues ex loci angustia nasceret: deinde citius us fames. Concidisti ergo (ait) p[ro]p[ter]u[m] multos, & peccauit anima tua. i. nequa[m] intentio tua. Na[m] peccatum tuum non ex ignorantia, sed ex cogitationis tuae uenit malitia. V[er]o tibi, quia lapis de pariete clamabit, & lignu[m], quod inter iuncturas est edificior[um], respondebit: Quis enim iste est lapis, nisi ille q[ui] seipsum per parabolā uineae significas, extra portam ciuitatis eniciendū e[st], & crucifigendū, ubi parabolam edixit, & iudiciu[m] a pharisaeis audiuit, de malis agricolis, qui erant ipsi. Nunq[ua]m (ait) legis in scripturis: Lapidē quē reprobauerūt aedificātes, hic factus e[st] in caput anguli, a domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Et quod e[st] lignu[m] inter iuncturas aedificiorum, nisi lignum crucis, per quod aedificia duo prius disiu[n]cta erant, quae erant inimicitiae inter homines ac deum, dominu[m]q[ue] angelorum, sed per crucem pacificata uel coniuncta sunt? Ita recte intelligitur dictum lignum, quod est inter iuncturas aedificiorum. Siue hominum, quod in terris uel de terra est aedificiorum, de duobus parietibus co[n]stat, q[ui] sunt antiqua ante Ch[ri]sti aduentu[m] synagoga, & noua post eius aduentu[m] ecclesia,

Auaritia mala quid est.

Matth. 21
Iohan. 2

Ecc[lesiasticus]. 10

Hiere. 7

Mich. 3

Ecc[lesiasticus]. 10.
Duplex co[n]fusio domini Iudaeorum.

Mich. 3

Iohan. 11
Psal. 13. & 17

Libr. 7. ca. 28

Lapis, Christus
Matth. 21
Psal. 117

Lignum crucis
Coloss. 1

quo

- Ephe. 2** quos uidelicet parietes: quia coniungit in semetipso, lapis angularis dicitur & est. Hinc alibi idem Ap[osto]lus: Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraq[ue] unū & c. Lapis igitur de pariete (inquit) clamabit, subauditur, cōtra te, & lignum, quod inter iuncturas est ædificior[um]: rīdebit, nimirum aduersum te. Quid lapis clamabit, & quid lignum respondebit: Nimirum id quod sequitur. **L. Qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.** J. Ne dubium sit cui u[e] istud in clamat lapis ille aut lignum illud, alius Propheta, s. Micheas dicit.
- Mich. 3** Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Hierusalē in iniquitate, populus est Iudaicus, cæcus est pharisæicus, q[ui] impleuit mensuras patrum suorum: quia patres q[ui]dem eius prophetas occiderūt, ipse autem p[ro]pheta[rum] dñm, ut ueniret super eum omnis sanguis iustus q[ui] effusus est super terram. Nunq[ui]d autem reuera taliter ciuitatem ædificauit, aut in tanta iniquitate urbem præparauit? Nequaquā, sed stultissimus ita putauit. Dixit enī, occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Idcirco locū & gentē perdidit, quia sanguinē fundere, hoc putauit esse ædificationē ciuitatis, & iniquitatem perpetrare, hoc putauit fore sibi præparationem semper possidendæ urbis.
- Math. 23** **Ciuitas Dei, quomō ædificatur in sanguinibus.** ¶ Alias autē & uere ciuitatem ædificauit in sanguinibus, & ueraciter præparauit urbē in iniquitate, nō sibi sed deo uiuenti, nō illam urbem aut ciuitatem terrenam Hierusalem: sed ciuitatem dei uiuentis cœlestē Hierusalem. Quantos enī Prophetas occidit, q[ui] sapientes & scribas interfecit, crucifixit, flagellauit in synagogis suis, & persecutus est de ciuitate in ciuitate, tot lapides uiuos quadravit, de quibus recte cōcinas magno architecto sancto spiritui: quia tunsiōibus & pressuris expoliti suis coaptant locis, p[er] manū artificis disponunt, p[er] mālur[um] facris ædificiis. Hoc q[ui]dam rite p[ro]pendens, ubi martyre[m], insignē p[ro]phetis arte, sustulit atq[ue] plum batis subigi cōspexit, hmōi distichon expressit. Cudit æternæ lapis urbis, gemmāq[ue] Curste. Hęc tua splendidius, p[er]na famulante polī. In hmōi officio siue ædificio populus Iudaicus & primus est & notissimus. Lapis (inquit) de pariete clamabit, & lignū q[ui]d inter iuncturas est ædificior[um], unde iam dictū est respōdebit: uæ illi q[ui] ciuitatē sic ædificat, q[ui] urbē sic præparat, quia bonus q[ui]dem effectus: sed intentio est maligna. Qñ uel ubi scdm ueritatē huius Prop[ro]phetiæ lapis ille, lapis angularis, uæ istud clamauit. Nimirum qñ uel ubi dixit: ecce ego mitto ad uos Prophetas & sapientes & scribas & c. usq[ue]: amen dico uobis, uenient hæc omnia sup[er] generationē istam. Statim nāq[ue] grauissime intulit: Hierusalem Hierusalem quæ occidis p[ro]phetas, & lapidas eos q[ui] ad te missi sunt. Quid ibi subaudiendū est, nisi uæ tibi? Præmiserat nāq[ue] septies uæ, sicut o prudens lector, ibidē. s. apud Math[æ]ū, enumerare poteris, uæ uobis scrib[ar]ū & pharis[æ]i, uæ uobis scrib[ar]ū & pharis[æ]i, uæ uobis duces cæci, uæ uobis scrib[ar]ū & pharis[æ]i, uæ uobis scrib[ar]ū & pharis[æ]i, uæ uobis scrib[ar]ū & pharis[æ]i, uæ uobis scrib[ar]ū & pharis[æ]i, ad singulas exclamationes causis subiūctis, quaz[um] nouissima & septima hæc est, q[ui] ædificatis le pulchra p[ro]pheta[rum] usq[ue], & uos implete mēsurā patrū uestror[um]: ideo ecce ego mitto ad uos p[ro]phetas & sapientes & scribas & c. Nōne iste impius, iste p[ro]pheta, uæ septemplici dānatus, ille est Cain cuius typū dictū est, in illū unū hoīem huius nomis, septuplū ultio dabit de Cain, q[ui] merus quia insolubilis est peccatū irremissibile significat: Plura hinc dici poterāt, sed legētis fastidiū uitates, cætera p[ro]sequimur. Ait: **L. Nunquid non hæc a domino sunt exercituum?** J. Puta q[ui]d dixerit: Nunq[ui]d nō à dño factū est istud, & est mirabile in oculis nostris? Quid istud nisi q[ui]d lapis quē reprobauerūt ædificātes, hic factus est in caput anguli, & hic lapis de pariete clamabit, & ut iam dictū est, lignū crucis eius, q[ui]d inter iuncturas est ædificior[um], respōdebit: Nunq[ui]d (inquam) non hæc à dño sunt exercituum? Nunq[ui]d nō à domino factum est istud? Plane à dño exercituum sunt hæc, plane à dño factū est istud. Vnde p[ro]babimus. Sequitur. **L. Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in uacuum ut deficiant.** J. Cum hoc dicto, p[ro]phético, recordemur illius in Actibus Ap[osto]lor[um]. Et nunc ait Gamaliel: dico uobis uiri Israhelitæ: Discedite ab hominibus istis, & finite illos, quoniam si est ex hominibus cōsiliū hoc aut opus, dissoluet: si uero ex deo est, nō poterimus dissoluere eos, ne forte & deo repugnare inueniamur. Hæc ille sapienter elocutus est. In isto autem spiritus sanctus prædicat. Laborabūt enim populi in multo igni, & gentes in uacuum ut deficiant, & sic factum est. In multo igni, subauditur, inuidiæ laborauerunt, id est, Iudæi, laborauerunt gentes id est, Gentiles, ut dissoluerent consiliū & opus, quod de isto angulari lapide prædicat.

prædicat sed laborauerunt inuacuum & defecerunt, quia dissoluere non potuerunt, imò & accedentes ad istū lapidē, ad quē accedere bonus casti laboris defectus est, & ipi tanq̄ lapides uiri sup̄ edificati sunt. Nunqd̄ igit̄ nō hæc à dño sunt exercitiū? Nunqd̄ non à dño factū est istud? Si em̄ nō fuisset à dño consiliū hoc uel opus, p̄fecto iam dissolutū esset, tot gentibus & populis ad dissoluendum laborantibus, & quæ causa labores illoꝝ euacuauit. Ait: **Quia replebitur terra, ut cognoscat gloriā dñi, quasi aquæ operientes mare.** Quid isto dicto uerius, cōstantius, atq; p̄fectius? Sp̄s em̄ dñi repleuit orbē terraz, & eorū plente repleta est terra, ut cognosceret gloriā dñi, ut fierent sapientes atq; eloquentes, qui erant idiotæ & sine literis, ut fierent celestes qui erant terreni, imò qui terra fuerāt, fierēt celi, cognoscentes gloriā dñi, enarrātes gloriā dei, non quocunq; sed quasi aquæ operientes mare. Quid est hoc dicere? q̄ magnæ deberent esse aquæ, quæ multitudine sui operirent mare, uel quæ ad comparationē mare nihil uideret̄ eē. Mirū illud esset, & nō minus miraculi habet qd̄ mare. i. sapientia omnīū superauit, data simplicibus abundantia celestis sapientia. Hæc est illuminatio credentiū Euangelio Christi, qui dicunt, à dño factū est istud, & est mirabile in oculis nostris. Ecōtra cæteri excæcati sunt, uidelicet illi qui (ut iam dictū est) consiliū hoc uel opus dissoluere cupiebant, de quibus hic ait: Laborabunt em̄ populi in multo igni, & gētes in uacuum ut deficiant, quam ob causam excæcati sunt. Sequitur. **Te qui potum dat amico suo, mittens fel suum & inebrians, ut respiciat nuditatem eius.** Repletus est ignominia pro gloria. **Bibe tu quoq; & consopire, circumdabit te calix dextere domini, & vomitus ignominie super gloriā tuam.** Hunc locū istud de Psalmo manifestiorē facit. E dederunt in escā meā fel, & in siti mea potauerūt aceto. Fiat mensa eorū coram ipsis in laqueā, & in retributionē & in scandalū. Obscurent̄ oculi eorū ne uideant, & dorsum eorū semper incurua. Miro itaq; modo cū dixisset: quia replebitur terra, ut cognoscat gloriā dñi, quæ gentiū illuminatio est: causam contra posuit cæcitatē q̄ in Israhel cōtigit, dicendo: uæ qui potum dat amico suo. Cæcitas ipsa est uæ: causa uero quia potū dedit amico suo. Ipe est em̄ amicus q̄ dicit in Psalmo, & dederūt in escā meā fel, & in siti mea potauerūt me aceto. In tñ amicus ut frater sit effectus, & nostræ naturæ cōsanguineus, q̄ppe q̄ cū deus esset, homo factus est, ac de illo populo incarnatus est. Huic amico suo potū dedit, mittens fel suū, & inebriauit eū amaritudine, ut aspiceret nuditatē eius, i. ut cōprobaret, quod esset à deo derelictus. Dixerunt em̄ imp̄i. Promittit se sc̄am dei habere, filiū dei se nominauit. Videamus si sermones illius ueri sint: si em̄ uerus filius dei, liberabit eū de manu contrariorū, contumelia & tormento interrogemus eū, & probemus patientiā eius. Morte turpissima condemnemus eū. Hæc eorū nequissima curiositatē, & quasi nuditatis explorationē, Psalmus declamat ex p̄sona ipsius: Et q̄ custodiebat̄ aiām meā, cōsiliū fecerūt in unū. Dicētes, deus dereliquit eū, plequimini & cōprehēdite eū: quia non est qui eripiat eum. Explorauit inuenit, atq; aspexit aut aspexisse sibi uisus est impius nuditatē eius: audiuit enim eū dicere: Deus meus deus meus qd̄ dereliquit me, hoc p̄fecto statim, ne qd̄ deesset sui fellis ad inebriandū illū, cui totus calix passiois potus erat amaritudinis, obtulit ei ori & acetū. Væ igit̄ illi, q̄ taliter potū dedit amico suo, & fratri cōsanguineo suo, ut aspiceret nuditatē eius, infirmitatē eius, ad faciendū siue capiendum experimentum quod non esset dei filius, imò qd̄ esset à deo derelictus. Hoc foris annuntiat & blasphemat tanquam maledictus Cham, qui foris annuntiauit nuditatē paternam: sed quando ista res illa similitudine maior est. Ille namq; Cham non dedit potū patri suo: non (inquam) dedit poculum uini delectabilis, ut eum inebriaret, & nuditatem eius aspiceret: sed iste impius amico suo dedit potum amaritudinis, misit fel suum & inebriauit eū, ut aspiceret nuditatem eius, & sicut per Moysen prædixerat spiritus propheticus. De uinea Sodomorū uinea eorū, & de suburbanis Gomorra. V uæ eorū uua fellis, & botrus amarissimus, fel draconum uinum eorum, & uenenum aspeꝝ insanabile. Repletus (ait) ignominia pro gloria. Quia repletus est ignominia pro gloria? Ille ne qui amico suo dedit, an ipse amicus, cui datus est potus fellis, Nimirum ipse amicus repletus est ignominia, id est, passus est ignominia, sustinuit mortē, mortem autē crucis, quam pro summa ignominia miscuit impius illi: morte (inquies) turpissima condēnemus eū. Tanta ignominia replevis passus ē pro gloria, uidelicet sciēs inde sibi puētū, ut iam ex eo sederet à dextris uirtutis in glia dei patris.

Sapientia. j. Actus. 4

Psal. 68

Supra. 2.

Psal. 70.

Matth. 27. Iohā. 19. Iudæi, sicut Cham, imo peiores quaz Cham. Gene. 9.

Deuc. 32

Sapientia.

Nam

COMMENT· RVPER· ABBA· LIB· II.

Philip. 2 Nam propter hoc (ait Apostolus) & deus illum exaltauit, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu, omne genu flectatur, caelestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur: quia dñs Iesus Christus in gloria est dei patris. Quomodo autem & q̄ uehementer, conuersus in eum inuehitur, qui potum suum dedit, qui fel suum misit, qui inebriauit, & dormire fecit amicum suum somno mortis, & eo modo nuditate eius aspexit. i. nudum, & à deo derelictum esse uoluit. Bibe (inquit) tu quoq; & consopire, & quid bibes? Circūdabit te calix dexteræ dñi, & uomitus ignominiae super gloriam tuam. Calix dexteræ dñi. i. ira omnipotentis domini, ita te circūdabit, ut sicut in ipso scriptum est: Fiat mensa eorū coram ipsis in laqueum & in retributionem & in scandalum. Quæ nam est mensa tua, nisi lex tua, scriptura sacra tibi credita, primū tibi ad edendum & bibendum proposita? Ibi calix dexteræ domini, idem ipsa mensa tua, ipsa lex uel scriptura tua te circūdabit, sicut modo laqueus circūdare consueuit, laqueus enim ipsa tibi erit habenti spiritum erroris, latenti siue haurienti retributionem fellis tui, quem amico tuo in potum dedisti. Istud bibe tu & consopire, ita ut & nunc obscurentur oculi tui, ne uideas & postmodum consopiaris, non quomodo ille amicus tuus, qui euacuato felle tuo: ego dormiui (inquit) & soporatus sum, & exurrexi: sed ita ut in æterna morte sepultus iaceas, quod uere est consopiri. Quam autem diuersum est, id quod sequitur, & uomitus ignominiae super gloriam tuam, ab eo quod ante dixerat, repletus est ignominia pro gloria. Ignominia qua ille amicus tuus repletus est, gloria, & ignominia cuius uomitu pollueris super gloriam tuam, non eandem habent rationem. Illi nāq; ignominia qua repletus est de foris, accessit, nec enim, ppter sua, sed ppter aliorum peccata male tractatus est, & pro futura gloria sustinuit: uomitus autem ignominiae tuæ de intus uenit, de teipso processit, sicut uomitus eius qui seipm cōuomit: quia tu temetipsum de corde tuo mendacia uoemenda in honorasti, & ille uomitus super tuam præteritam gloriam erumpit. In hoc quoq; magna distantia est, quod ille prius ignominiam sustinuit: & deinde gloria successit, ut debuit: tu autem prius gloriatu es, festinanter gloriam accipiendo ab iniuriam, sicut ille tibi quodam loco exprobrauit: & deinde uomitus ignominie successit. Iste ordo notus est supernæ dispositionis, ut impius quidem prius gloriose exaltetur: & deinde ignominiose humilietur: prius autem propter hoc ipm quod pie uiuit prius humilietur, & ignominiam patiat: ac deinde cornu eius in gloria exaltet. Sequit. **L** Quia iniquitas Libani operiet te. Hoc ad illud coniungitur quod præmisit, uæ qui potum dat amico suo & cætera. **Væ tibi** (inquit) quia iniquitas Libani operiet te. i. hypocrisis tua condemnabit te. Libanus namq; candidatio interpretatur, & interdum sub hoc nomine templū intelligitur, ut in Zacharia: **Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuos.** Ergo iniquitas Libani id est, iniquitas templi ipsa pulchritudo religionis, cuius omnis cādor tua est hypocrisis, postillam operiet te, maximū condemnabit te. Nam q̄ magna fuerit religionis illius hypocrisis, ipe deo minus satis acerbe innuit, toties sub uno ductu sermonis dicendo. **Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ,** loco apud Matthæum, quem supra memorauimus, ubi cum septies uæ super illos detouerit, per singulas uices hypocritæ dixit: excepta una dūtaxat uice, ubi taliter dixit: **uæ uobis duces cæci.** Paulus quoq; non ignorans iniquitatem huiusce dealbationis, cum staret in medio concilij: & princeps sacerdotum Ananias os eius iussisset percuti, dixit ad eum: **Percutiet te deus paries dealbate,** & quid aliud erat hoc dicere, quam iniquitas Libani operiet te? & reuera quod uni dixit, omnibus dixit, uniuerso illi sacerdotio & populo dixit: **Factumq; est quod dixit & percussione illam totus orbis audiuit.** Protinus ab illo (inquam) inuehebat populo impio, conuersus ad auditores sermo propheticus ita loquitur. **Leuastitas animalium deterebit eos, de sanguinibus hominis & iniquitate terre, ciuitatum & omnium habitantium in ea.** Ut dictum ita & factum est. Venerunt enim animalia de sylua, de quibus Psalmista: **Exterminauit eam** (inquit) scilicet uineam tuam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam, nimirum propter scelus, quo cum debuit facere uinum & afferre uinum, supra dicto amico suo, domino uel possessori, imò & plātatori suo, miser fel suum amaritudine mortis inebriauit eum. Venit aper scilicet Vespasianus, & singulariter eorum, uidelicet Titus filius eius, de sylua. i. de urbe Roma, ubi erat multiplicitas errorum & terrarum homines habitabant, sicut feræ in sylua. Horum uastitas animalium deterruit eos, de terrarum

Bibe & consopire

Psal. 68

Psal. 3
Aliter Christi, aliter Iudeorum ignominia.

Johan. 5

Libanus

Zach. 11

Matt. 23

Acto. 23

Psal. 79

nibus hominis & iniquitate terræ, ciuitatis & omnium habitantium in ea. Extunc enim perdidit
 runt audaciā, qua primi ex omnibus gentibus ausi fuerūt ad se missos prophetas & sapien- Mat. 23.
 tes & scribas, occidere & crucifigere, flagellare in synagogis suis, & de ciuitate in ciuitate
 persequi. Nōne ab huiusmodi crudelitate audaci, audacia crudeli, ex eo tēpore sunt deter-
 ritū. Neminē quippe iā audent occidere, aut saltē flagellare in synagogis suis, p̄sertim ubiq̄
 terrarū captiui, & scabellū pedū dñi sedentis à dextris dñi, & in medio inimicorū suorū domi-
 nantis, qui uidelicet inimici eius sunt ipsi. Et si alijs gentibus licuit, ipsis omnino tale quid ip-
 sa captiuitatis eorū lex nō concedit. Sequitur. **Quid prodest sculptile, q̄ sculptū illud**
fictor suus: conflatile & imaginē falsam, q̄ sperauit in figmento fictor eius, ut face-
ret simulachra muta. Ue qui dicit ligno, expergiscere: surge, lapidi tacenti. Nun-
quid ipse docere poterit? Ecce ipse cooperatus est auro & argento, & omnis spiri-
tus non est in uisceribus eius. Bonnus autē in tēplo sancto suo, sileat a facie eius
omnis terra. Istud uē iam quintū, sicut & p̄cedentia scire debemus esse irā illā, q̄ (ut supe-
 rius iā meminimus) reuelatur, ait Ap̄tus, de cœlo in euāgelio dei in omnē animā hominis Ro. 1. 21.
 operātis malū, Iudæi primū & Græci. Deniq̄ in animā Iudæi primū, & deinde Græci, siue
 Gentilis. Ira hæc pro necessitate tēporis, dicta est in prophetis obscurius, in euāgelio autē
 ita reuelatur, ut ueraciter dicas: sicut audiuius, ita & uidimus. Dicto nāq̄ uē quater, in a- Psal. 47.
 nimā hoīs Iudæi operātis malū, quod ita terminatū est, & uastitas animalium deterrebūt eos
 de sanguine hoīs, dū quinto loco iā dicit: **Væ q̄ dicit ligno, expergiscere: surge, lapidi tace-**
ti & c. Nōne istud est, qd̄ ita uidimus, sicut audiuius? **Deteritis nāq̄ Iudæis, ut nō audeāt**
euāgelij prædicatores occidere, aut p̄sequi, quod factū est p̄ uastitate animalū. i. per exci-
diū, uel per manus Romanorū gentiliū, liberius iā aduersus idolatriā per idē euāgelij de-
clamatū est, & p̄dicatū uē per totū orbē terrarū, in omnē animā hominis Græci siue Gen-
tilis, ligno & lapidi, siue auro & argēto sese incuruātis. Et notāda series literæ p̄sentis. Non
 em̄ in initio dicit, uē qui dicit ligno, expergiscere: surge, lapidi tacēti, Sed prius suauiter ab-
 loquitur, & percūcādo excitat hominē ad intuitū ratiōis. **Quid prodest (inquit) sculptile?**
Vult intelligi, & responderi: nihil, & rationē ostēdit, cur prodesse nihil possit. Quia sculp-
tit (ait) illud fictor suus, nimirū talis, q̄ figmēto suo sp̄m uel uitā dare nō possit. Fecit cōflati-
le & imaginē, cuius rei uoluit, aut hominis corruptibilis, aut uolucrū, aut quadrupedū, aut
serpentū, imaginē utiq̄ falsam, i. omni ueritate substatā, cuius uidetur similitudo, fraudatā
& iccirco sculpsit illud, q̄ sperauit in figmēto fictor eius, ita deceptus qui homo rationalis
erat, ut faceret simulachra muta, q̄ os habent, & nō loquent; oculos habent, & nō uidebūt: Psal. 113.
aures habēt, & nō audiēt: nares habent, & nō odorabūt, neq̄ em̄ est sp̄s in ore ipsorū. Hoc
rationabilē p̄monstrato, q̄ nō credit euāgelio, uerū deū p̄dicanti, profecto est inexcusabilis,
quia ratio est irrefragabilis. Itaq̄ nūc demū in clamat in clamatōe terribili: Væ q̄ dicit ligno,
expergiscere: surge, lapidi tacēti, equipollēter ita potest dici: Væ cognoscentibus deū, siue
audiētibus dei euāgelij, & nō sicut deū glorificātibus eū, q̄ sponte mutauerūt gloriam in Ro. 1.
corruptibilis dei in similitudinē imaginis corruptibilis hoīs. Nunquid ipse docere poterit,
cui dicit: expergiscere, surge, cū lapis aut lignū sit? Ecce ipse, subauditur, deus eius, cooper-
tus est auro & argento, & omnis sp̄s nō est in uisceribus eius, oīs (inquā) siue hominis, siue
uolucris, siue quadrupedis, siue serpētis, cuiuscūq̄ imago in ligno aut lapide, in auro siue ar-
gento simulata sit. Itaq̄ fictor imaginē falsam sculpsit. Ipse autē, quē p̄dicamus, deus & dñs
 in tēplo sancto suo, in tēplo corporis sui est, qd̄ solutū ab impijs, ipse post triduū suscitauit. Si Quomodo si-
 leat a facie eius oīs terra, uidelicet in eo, ut blasphemare siue aliū extra ipsum noīare deū nō lendu est deo.
 audeat, & in hoc silentij reuerentiā illi exhibeat, ut ab ipso grām. i. remissionē peccatorum
 suppliciter deposcat. Nā sup̄ hac re nūquid ullū ratio aut scriptura ueritatis silentiū conce-
 dit? Imō dicitur nobis: **Qui reminiscimini dñi, ne taceatis, & ne detis silentiū ei. Breuiter dif-** Esa. 62.
finiendū est, q̄ a facie dñi tacere, hoc est dñm timere. Quod & si nondū sit, multi em̄ con- Psal. 75.
traditū ei, fiet profecto in die iudicij, sicut Psalmista uehemēter astruit, cū id, qd̄ sine dubio
futurū est, quasi iā p̄teritū, taliter edicit: De cœlo auditum fecisti iudiciū, terra tremuit, &
quieuit.

¶ Libri secundi in Abacuc finis.

h Consciō